





Ex. 190.



38 R E C T O R
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
ERNESTVS FRIDERICVS
WERNSDORFIUS

SS. THEOL. DOCTOR ET PROFESSOR PVBL
ORDINAR. ELECT. ALVMNOR. EPHORVS SOCIET
LIB. ART. LIPS. MEMBRVM HONORAR

O R A T I O N E M

A

CHRISTIANO THEOPHILO HASE

PHIL. MAG. ET MINIST. CAND
IPSO DIE MEMORIAE EMENDATORVM SACRORVM

cIcIccLXXII

BENEFICI WEYRAVCHIANI CAVSSA
IN AVDITORIO MAIORE
PROCVRATIS SACRIS
HABENDAM

CIVIBVS ACADEMICIS

C O M M E N D A T

DE FACILITATE DISPVVTANDI LVTHERI
MELANTHONIS SEVERITATE

Non dubito, fore multos, qui, simul atque huius opellae uiderint elogium, mirentur, me Lutheru perpugnaci .differendi in utramque partem tribuere urbanitatem, quippe cum scripta uiri, quibus uerum defendit, errores fregit, tanto ferantur impetu, ut nihil supra. Sed hi erunt fere, qui, parum cognita ducis familiae nostrae bonitate naturae, mores aduersariorum feroce, uel mitissimum quemque ad iram prouocantes, illi criminis ducent. Nec minorem mouebit admiracionem Philippi in colloquiis eruditis austерitas tristis, quod libri, ab eo compositi, blandam spirant temperatamque aequabilitatem, suauitate collaudanda facilius, quam imitatione consequenda. Nihilo tamen fecius me perfecturum spero, illum magis potuisse in scribendo motus animi continere, quam, si coetus hominum doctorum et celebrationes obierit, modestiam laudemque tueri. Vtar uero teste, quo locupletiorem excitare non licet, Matthaeo Ratzebergero, tantae prudentiae, quantae honestatis, uirtutibus hisce promerito, ut Lutherus ei non corpus solum curandum committeret, sed etiam consilia cum eo amicitiae fiducia communicaret, Septemuir autem Saxoniae eius fidei liberum Lutheri tutelam traderet, imo uero grauiora negotia, et publica, in foedere Schmalcaldico, gerunda. Historiam reliquit



reliquit manuscriptam, ab Seckendorfio saepius ad-
hibitam, ab aliis postea oppugnatam, quibus no-
num uidebatur atque inauditum crimen auaritiae,
Theologis exprobratae. Sed quo propius ille Lu-
therum nouit ac Melanthonem, eo certiora, quae
de his duumuiris commemorat, merito suo ponun-
tur. Legimus illa a Groschio relata (in der noth-
wendigen verthaidigung der evangelischen kirche
wider die Arnoldische ketzerhistorie) qui tam scri-
ptoris mores honestissimos exposuit, (p. 50. sqq.)
quam iudicium de ratione disceptandi tantorum ho-
minum uaria repetiit, conceptis uerbis, a nobis e
Germanico in Latinum conuertendis, (p. 456) at-
que, ubi opus erit, animaduersionibus quibusdam
firmandis. Ansam quidem praebet Ratzebergero,
de sociis emendatorum facrorum interponendi iu-
dicii, Vitus Amerbachius, Philosophus Vitembergen-
sis, quem doctum speculatorem nuncupat, argutum-
que disputatorem. Quoniam Philosophiae schola-
sticae illorum consuetudine temporum se dederat,
horridis eius et confragosis solitudinibus uehemen-
tius delectabatur, quam locis amoenioribus ac fru-
giferis, in quibus Lutheri grauitas, humanitas Phi-
lliippi uersabatur. Opiniones praecipue quasdam ma-
iore contentione retinebat Aristotelis, principis ea
aetate philosophorum, de meteoris, de iride, aliis-
que generis eiusdem, quam rerum doctores diuina-
rum ferre possent. Adeo iam tum odia, dissidia,
discordiae sacram inter profanamque sapientiam

exarserant, duas sorores, tanta cognatione iunctas, ut una alterius ope semper egeat. Quis hic, Melanthonem, non speret, pacificatorem potius acturum, quam facem praelaturum ad bellum, acrius postea continuatum. At ille, nominis amplitudine elatus, auctoritate saepius, quam argumentis pugnauit, contemptumque hominem ordinis infimi uerbis asperioribus offendit. Inflammariunt iras, sicut usu uenit, amborum discipuli atque assentatores, ambigueque ac festinanter ab Amerbachio dicta, ad magistrum deferentes, exaggerarunt, sententiamque contorserunt, ut coelestis Melanthonis animus magis magisque irritaretur, aduersariumque durius traetaret. Hic Ratzebergerus metuit, ne fides narrationis in dubium reuocetur, eoque metu adductus, rationem dissentendi cum aliis Philippicam generatim persequitur. Communis igitur Germaniae praceptor, naturae ipsius impetu, consuevit in publico sermonum commercio priuatoque, facile stomachari, cum primum quis exilem ratiunculam atque infirmam proferret. Quam quidem Ratzebergerus impotentiam in uiri sollertia confert, qua dialecticus insignis, exquisitisque rationibus assuetus, tritas ferre nullo modo potuerit. Inde factum, ut moroso fastidio leuis armaturae milites repelleret statim, ac, ne finienda quidem pugnae data facultate, quiescere eos iuberet, aliquie paratori locum relinquere. Iure praefert historicus noster intolerantiae tam praecipi sedatiorem Lutheri morem

rem publice priuatimque ultro citro quaestiones agitandi. Quamuis enim minuta quaedam conclusiuncula, qui contra sentiret, uelitaretur, eam tamen Martinus cum risu non explosit, imo uero comiter repetitam exacuit, nouaque forma poluit adeo, ut auctor ipse, talia in mentem sibi haud uenisse, demiraretur. Tum, ne andabatarum ritu congrederentur, ex aduersario quaeſiuit, an mentem satis argumentationis perceperit. Re confessa, non minus humaniter, quam strenue, totani cauſsam ſic expediuit, ut corona auditorum mirabunda, plurimum ſe profeciffe, gauderet. Quam caeteris moderationem praeftitit, eandem Amerbachio comprobauit. neque enim illum perinde, ac Melanthon, ſemel iterumque commonefactum, fecit miſſum, ſed multum cum eo fuit, nihil non expertus, ut eum ſophistarum laqueis irretitum explicaret. At hominis pertinacia neque Philippi cefſit obiurgationibus, neque blandiloquentiae Martini, caſtrisque noſtris desertis, Ingolſtadium transfugit, ubi lautiorem fortunam reperiret, ac dignitatem ſplendidiorē, tametsi uana ſpe excideret, et, proditoris flagrans odiis, uel Pontificiis ſorderet, ac rei familiaris fere penuria uexatus, miseraſ animam efflaret. Hactenus Ratzebergerus, antesignanos ſacrorum literarumque reſtitutarum inter ſe contendens, ut ingeniiorum tantorum diſſimilitudo non mediocri uoluptate perfundat. Neque eſt, ut dicas, illum quid odio aut amori dediſſe. Laudat quidem placidiffi-

mos mores Melanthonis et mansuetissimos Came-
rarius, in commentariis de eius uita (p. 60 sq.) et
comitatatemque affabilitatem prorsus suauem. Idem
tamen, amicum nonnunquam adeo perturbatum,
non dissimulat, ut ueluti de potestate uideretur ex-
ire, sedata quamlibet cito quasi tempestate per re-
ditum ad ingenium, quod uitium, uel uitii quiddam
simile ipse agnouerit. Nec peius quicquam illum
subiicit odiisse uersutiis in argumentando, et conclu-
sionum fallaciis. sic affectum, in homines, cogita-
tiones contortas argutiis implicantes, tam saepe
fuisse grauiter incensum, ut plenus stomachi obiür-
gando ipse peruersitatem callidorum et ueteratorum
increparet acerbius. Cuius ardoris caussam Came-
rarius in ipsa corporis debilitate ponit, intemperan-
tia studiorum fracti. humoris enim ad lumbos uapores,
qui grauis interdum aegritudinis caussam dent, tam
corpori, quam animo, quae πάθη ὑποχρειαν uocen-
tur, tentasse eum nonnunquam, unde doloris nonnihil
ceperit. Constat autem inter illos, qui malo hoc, su-
spiciose magis quam pestifero, premuntur, ob mi-
nimas interdum offensiunculas totum animum tu-
mere. Vel scribens Philippus ab ira tam celeri tem-
perare sibi non poterat, quo minus ipsum nec op-
inantem opprimeret. Documentum dat non obscu-
rum disputatio de coniugio sacerdotum, in apologia
Augustanae professionis (p. 238.) ubi leuitate dimi-
candi factionis aduersae commouetur tantopere, ut
ipsum nomen, quod a grauitate personae huius pror-
sus

sus abhorret, cauilletur. *Ridiculum est, quod aduersarii nugantur, initio fuisse mandatum coniugium, nunc non esse.* hoc perinde est, ac si dicerent, olim nascentes homines secum attulerunt sexum, nunc non afferunt. Nullus Faber fabrilius cogitare quicquam posset, quam hae ineptiae excogitatae sunt, ad eludendum ius naturae. De Luthero breuius. Quem enim praeterit excelsus illius animus ac generosus, quem non mentis agitatione, exercitationeque praecclare factorum sensim comparauit, sed ab natura ipsa haustum, opeque diuina emendatum, ad res longe maximas attulit. Is sicut admirabilem firmavit totius uitiae stabilitatem, ita uehementes animi incitati motus mitigauit, ne ille in morositatem inutilem atque odiosam incideret, sed ueri discendi cupidos modis omnibus iuuaret, aberrantes in uiam reduceret, imbelles timidosque erigeret, castaeque religionis incrementis misericorde gauderet. Sed haec mira uidebuntur ei, qui Lutheri imaginem, a Perizonio expressam, ante oculos sibi proponet. (hist. Sec. XVI. p. 339.)

Quamuis enim ille dotes eius excellentes laudibus iustis effusat, magnum spiritum, intrepidam constantiam, promptum eloquium, insignem facundiam, summam simul industriam, labem tamen quoque aspergit. *Vna est, inquit, in qua merito culpetur, iracundia, per quam euenit, ut dissidentes non modo ferre non posset, sed et orco confessim deuoueret, ac diabolico spiritu agitari increparerat.* Hanc autem reprehensionem minuit Ratzebergerus, monens accurate, dissidentes bono animo seiungendos ab iis, qui magis astu, quam uirtute, in certamen descenderint, hominisque, summo splendore praediti, famae contumelias plurimas iniuriasque imposuerint. Optime Lutherus ipse caussam dicat in literis ad amicum, cui rationem

Hg 5750
tionem reddit, quam ob rem Britanniae regem subcontumeliose
excepit. (T. II. Altenb. p. 207 sq.) ich habe, wie ihr wisset,
manch fein Büchlein, ohne alle schaerfe, freundlich und sanfte ge-
schrieben, dazu mich aufs allerdemüthigest erboten, ihnen nach-
gezogen, erschienen mit vieler kost und mühe, und ihrer lügen
und laesterung über die masse viel ertragen. Aber ie mehr ich
mich gedemüthiget habe, ie mehr sie toben. Sapienti satis

Nos, *Cives*, ueneramur inaestimabilem Dei sapientiam, qua
sunt instrumenta sacrorum munditiae reparandae selecta, non libe-
ra illa quidem ab omni culpa erroris humani, ad inceptorum ta-
men successum prosperum accommodatissima. Hic merito suspi-
cimus in coelum, quod ope non poruit humana res, post homi-
num memoriam maxime ardua, ad exitum perduci. Hominum
quidem calliditas nihil praetermisit, quod illam si non impedire,
trahere tarnen longius posset. Sed humanam risit prudentiam nu-
men, machinationes quamlibet sagacissimas ludificata. Gabriel
certe Naudaeus, in commentationibus de flagitiis dominationis ci-
uilibus, alia studuit consilia dare, Lutherum ab his conatibus deter-
rendi, satis malitiosa. At, ne ista quidem profectura quicquam et
ualitura fuisse, copiosius probabit Clarissimus Doctissimusque
CHRISTIANVS THEOPHILVS HASE, Langendembacensis-Saxo,
Philosophiae Magister, et S. Muneris Candidatus. Cuius ingenii
praestantiam caeterasque uirtutes Vobis, *Cives*, commendare opus
non est, pluribus recte factis probatas. Spem potius nostram decla-
ramus, fore, ut celebritate Vestra Commilitonem excitetis ad lau-
dem, et, procuratis sacris, in medium prodituro, faciles Vos atten-
tosque praebeatis. P. P. Dom. XIX. post Trinit. c. 1000 CCLXXII

VITE BERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII

ACAD. A TYPIS

X 225 6148

V
5750

Ex. 190. 38 R E C T O R

ACADEMIAE VITEMBERGENSIS

**ERNESTVS FRIDERICVS
WERNSDORFIUS**

SS. THEOL. DOCTOR ET PROFESSOR PVBL
ORDINAR. ELECT. ALVMNOR. EPHORVS SOCIET
LIB. ART. LIPS. MEMBRVM HONORAR

O R A T I O N E M

A

CHRISTIANO THEOPHILO HASE

PHIL. MAG. ET MINIST. CAND

IPSO DIE MEMORIAE EMENDATORVM SACRORVM

cIcCCLXXII

BENEFICI WEYRAVCHIANI CAVSSA

IN AVDITORIO MAIORE

PROCVRATIS SACRIS

HABENDAM

CIVIBVS ACADEMICIS

C O M M E N D A T

Farbkarte #13

